11 Aug 1772

DECLARATIO SACRÆ FACULTATIS THEOLOGIÆ PARISIENSIS,

Circà Scriptum cui titulus: *Déclaration de la Doctrine de la Sorbonne, ſur l'Inſtitution & la Juriſdiction des Curés, contre les Aſſertions du Syndic du Chapitre de Cahors.*


Hoc ipſum præſertim ædificationis genus eſt, nempè impedimenta de medio tollere, & quæ corrupta ſunt refutare, & vera compingere. *S. Chryſ. in Epiſt. 2ª ad Corinth. Cap. X, Hom. 22.*



PARISIIS,

TYPIS MICHAELIS LAMBERT, viâ Citharea.

M. DCC. LXXII.



DECLARATIO
SACRÆ FACULTATIS
THEOLOGIÆ PARISIENSIS,

Circà Scriptum cui titulus : *Déclaration de la Doctrine de la Sorbonne, ſur l'Inſtitution & la Juriſdiction des Curés, contre les Aſſertions du Syndic du Chapitre de Cahors.*

THEOLOGIS Pariſienſibus nihil improviſum magis graviuſque accidere poterat, quàm ut illorum de Parochorum poteſtatis origine Doctrina peſſimam in partem raperetur, atque in detrimentum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ cujus potiſſimùm aſſertrix eſt Sacra Facultas, ipſo Facultatis ejuſdem nomine & quaſi conſilio converteretur. Hæc iniqua

tamen rerum conditio ad celebratissimæ Scholæ Magistros, præter opinionem omnem causamque probabilem, nuperrimè devenit. In publicum scilicet, infaustis ominibus, Scriptum recens prodiit gallico sermone compositum, typis editum Villæ-Francæ apud *Veideilhié*, 1772, hoc insigne titulo : * *Déclaration de la Doctrine de la Sorbonne, sur l'Institution & la Jurisdiction des Curés, contre les Assertions du Syndic du Chapitre de Cahors.* Scripto illi magnarum in Cadurcensi Diœcesi, dolente vehementer illustrissimo Episcopo, turbarum fermenti, subjecta nomina leguntur Domini Decani & alterius è Magistris sacræ Facultatis.

Quisquis equidem vel paululùm mentem attenderit, perfacilè deprehendet, tali subscriptione nullum aliud isti *Consultationi* posse pondus adjici, nisi quod præ se ferat privata horum Doctorum authoritas, eorumque solertia in documentis Scholæ suæ dispiciendis, & fides in exhibendis. De ipsa verò Sacræ Facultatis Doctrina nemo sibi certiorem ex eo conjecturam meritò fecerit, quàm, de legum forique placitis, ex singulari unius aut alterius Jurisconsulti responso.

Sed cùm ea sit non paucorum indoles, ut ad minimam interdùm speciem judicium componant, & quæ sibi suffragari, suisque inservire putant utilitatibus, eorum sibi primùm persuasionem, deindè cæteris quoque, modis omnibus inducant : Statuit Sacra Facultas absque mora occurrendum esse, ne rumores absurdi, qui de prædicta *Consultatione*, tanquam suâ, apud Cadurcenses, jactati sunt, pergant ulteriùs latiùsque disseminari.

Neque verò tantummodò interest, ut indignas à se suspi-

---

* In privatis DD. à sacra Facultate Deputatorum Comitiis declararunt D. Decanus & alter Magister, non suâ, sed alienâ manu præfixum fuisse Consultationi suæ hunc titulum.

ciones erroris longè propulset : à quibus ipsam tot illibata seculis fama defendere valeat; verùm etiam prospicere debet ne ulla radix amaritudinis, visa è sinu suo germinare, indoctis & instabilibus impedimento sit, multique per noxiam illius contagionem inquinentur. Hebræor. XII, 15

Quorum assequendorum optimam iniri viam existimavit, si particulatim mentem suam aperiat de singulis Capitibus, in quibus præcipuè peccavit *Consultatio*, variaque ejus errata, ex adversa quasi fronte, in aspectum proferat. Sic etenim futurum videtur, ut innotescat apertius, quantùm à genuina Sacræ Facultatis Doctrina *Consultatio* discedat; nec posse quod uni deterrimæ labis inhæreścit, ad alteram communionis alicujus propinquitate diffundi.

Priusquàm verò hæc aggredi incipiat, unum est in ipso *Consultationis* exorsu, non sine quodam probro in Sacram Facultatem, assertum, quod oportet justâ reprehensione distringere: Ab usitata scilicet Doctorum Parisiensium consuetudine id alienum esse dicitur, ut ad interrogata de rebus Dogmaticis perindè *Consultationes* edant, ac de Moralibus. Cui sanè commento, quisquis Dogmatica ab iis exquisivit, non mediocriter protinùs adstupescet: cunctis autem, ut cætera sileantur, manifestam ejus dicti falsitatem faciunt notissima opera Magistrorum de Sainte Beuve, Delamet, Fromageau, &c. utroque Responsorum genere referta, vel in hac ipsa de qua agitur parte Doctrinæ; quæque Moralibus idcirco magis abundavêre, quòd proponi quæstiones de Conscientia soleant, quàm de Fide multò numerosiores.

Vid. Ste Beuve Tom. 1. pag. 51, 55, 450, Tom. 3 pag. 103, 104, &c. Fromageau Tom. 1. Diction. p. 1149. Lamet ejusd. T. p. 1464, & p. 855, &c.

Jam ut illud agatur quod maximè rem causamque continet, de qua, solius habito *Consultationis* respectu, hîc omne judicium feretur.

Declarat Sacra Facultas I°. Ementitam fieri Doctrinæ suæ expositionem, in eo *Consultationis* loco, ubi de divina

institutione Curatorum injecta mentio est, verbis sequentibus, quibus ad articulorum Fidei professionem vix significantiora supersunt : *La Faculté de Théologie* CROIT ET ENSEIGNE *que les Curés sont d'Institution divine, qu'ils sont les Successeurs des 72 Disciples, que les Evêques,* EN LES ORDONNANT, ET EN LEUR CONFÉRANT LES CURES, *ne leur donnent pas le pouvoir intrinséque d'exercer le Ministère, mais leur appliquent seulement le droit d'exercer le pouvoir & la jurisdiction des 72 Disciples : de la même manière qu'un Evêque qui en consacre un autre, ne lui* DONNE *pas le pouvoir & la jurisdiction Episcopale, & lui* ATTRIBUE *uniquement* L'AUTORITÉ DANS LAQUELLE IL SUCCÉDE AUX APÔTRES, *&c.*

Vid. Cens. Sac. Facul. contra Vernantium pag. 142 & 176.

* Gerso de stat. Curat. consult. 2. in Cens. contr. Vern. pag. 198.

Defens. Declar. Cleri Gallic. part. III, libr. VII, cap. 14.

Venerandum quidem Parochorum ordinem esse de JURE DIVINO & *immediatè à Deo institutum* tenet Sacra Parisiensis Facultas. * *Statum hunc ad essentialem & intrinsecam Ecclesiæ Hierarchiam* pertinere constanti Majorum suorum traditione didicit. Eum ad Christiani gregis custodiam, ex inviolabili Dei ordinatione, in Ecclesia censet *esse necessarium*, ut *secundo loco sub Episcopis*, salvâ horum cùm in Parochos, tùm in plebem subditam immediatâ authoritate, *secundùm Canones & Episcoporum juxtà præscripta*, spiritualem *jurisdictionem exerceat*; quam, ipso authore Christo, Sacerdotes consequuntur, sed quæ nullum, citrà subditorum legitimam designationem, sortiatur effectum.

Vid. Cens. contr. F. Sarazinum anno 1429.

Vid. Cens. contra Vern. pag. 218 & 219.

Huic doctrinæ certissimis Scripturarum Traditionisque monumentis firmatæ contrariam opinionem non semel confixit Sacra Facultas; illamque speciatìm sententiam quæ *ab Episcopo duntaxat* oriri potestatem Curatorum, reluctante jure Communi, ipsoque ordine divinitùs instituto, asserebat, *scandalosam, in Fide erroneam, & Hierarchiæ destructivam* iterato judicio Sacra Facultas pronuntiavit: Immodicos diffidentium abusus, molitionesque acerrimâ Censurâ com-

primens; Amplitudinem fontemque Jurisdictionis Episcopalis firmiter præmuniens, ipsâ Parochialis jurisdictionis tuitione; Ecclesiæ hostibus occasionem præripiens Hierarchicæ compaginis, indefensâ vel protritâ ejus aliquâ parte, audentiùs impugnandæ; Rata etiam tunc verissimè Majores Ecclesiæ Prælatos honorari, cum singulis quibusque Sacerdotibus, licet in inferiore gradu positis, *honor debitus*, & pretiosa divini particula muneris *non negatur.* S. Greg. magn. lib. VIII, Epistol. 30 ad Eulog. Alexand.

Sed numquàm commisit Sacra Facultas, ut id, quod ait *Consultatio*, pariter assereret: *Ab Episcopis* nempe *non dari Curatis potestatem internam exercendi ministerii, cùm eos ordinant & Parœcias illis conferunt: sed tantummodò jus ipsis applicari exercendæ potestatis & jurisdictionis 72. Discipulorum. Quemadmodùm Episcopo, dùm consecratur, non datur potestas & jurisdictio Episcopalis; sed attribuitur duntaxat authoritas in qua succedit Apostolis*, &c. Quæ quidem perplexa plenaque captionum verba multæ pravitatis vitiis penitùs imbuuntur.

Quis enim verò ad *fidelem*, *qui secundum doctrinam est*, *sermonem* attentus, non molestè & graviter audiat istud *Consultationis* pronuntiatum: *Episcopi cùm Parochos ordinant non dant illis internam potestatem exercendi ministerii*? Nam licet *Consultatio* minimè negaverit hanc potestatem à Christo tribui, dùm Ordinationis ritus peragitur, prout ipsam expressè negavit dari ab Episcopis Sacramentum Ordinis administrantibus: non idcircò tamen relata modò verba vituperatione quâlibet exsolvuntur. Debuit quippe *Consultatio* luculentis firmare vocibus, nedùm impeteret contrariis, id quod vel ipsa tradunt Theologiæ sanioris elementa: videlicet quidquid est internæ potestatis annexum Sacerdotali muneri, *dari ab Episcopo* qui Sacram Ordinationem perficit, non ut ab Authore quidem hujus potestatis: sed tanquam à Ministro personam Christi, principaliter agentis, sustinente. Epist. ad Tit. cap. I. v. 2.

Quis etiam ſtudioſus in veritatem doctrinæ Theologus non offendatur hâc alterâ conſultationis ſententiâ : *Epiſcopi cùm Parochos ordinant*, & *Parœcias illis conferunt .... jus iisdem applicant exercendæ poteſtatis & jurisdictionis 72 Diſcipulorum?* Nihil enim aliud ſuadet his verbis *Conſultatio*, niſi illud ipſum in quod tota poſtmodùm inſiſtit : Parochos ſcilicet in Ordinatione Sacerdotali, *præter poteſtatem internam* immediatè à Chriſto collatam, *jus* inſuper aliquod adipiſci *exercendæ poteſtatis & juriſdictionis 72* Diſcipulis attributæ.

Eam ob rem duos Epiſcoporum longè diſpares actus ſimul memorat ac propè intermiſcet *Conſultatio* : actum nempè ordinandi Parochos & actum Parœcias conferendi : poſt horum verò conjunctam mentionem continuò ſubjicit : ab Epiſcopis (hos actus geminos exequentibus) *applicationem fieri* prædicti *jurisdictionis exercendæ juris.* Talis enim ſtructura ſeriesque ſermonis per ſe innuit ad hanc *applicationem* ſuo modò concurrere, tùm ſacram Ordinationem Parochorum, tùm collationem Parœciarum.

Ex dicendis autem, Articulo hujus declarationis quinto, patebit quo pactò hic actus uterque, ordinandi ſcilicet Parochos, & Parœcias conferendi, ſecundùm *Conſultationis* doctrinam ſuâ quiſque ratione conducat, ad applicandum jus exercendæ poteſtatis & jurisdictionis 72 Diſcipulorum. Ab actu priore, id eſt, ab Ordinatione Sacerdotali, cujus ſimplices quilibet Preſbyteri æquè participes ſunt, jus naſcitur exercitii *validi* : ab altero, nempè collatione Parœciarum, jus exercitii *liberi* ; ſi *Conſultationi*, ſe ipſam infrà clarius exponenti, fides adjungatur.

At verò hunc ſentiendi modum, recentibus quibuſdam ſcriptoribus probatum, averſatur prorsùs & refugit Sacra Facultas. Jus nimirùm exercendæ jurisdictionis, *adjectum*

internæ

internæ Sacerdotii *poteſtati*, cùm pendeat ex ſubditorum, ſecundùm dispensationis miniſterialis Leges, deſignatione : haud quaquam tale eſſe judicat Sacra Facultas ut, vi ipſius ordinationis, Sacerdoti cuiquam acquiratur. Ideò ſequentem Propoſitionem iſti aſſertioni cognatam publicâ condemnatione anno 1735, proſcripſit.

PROPOSITIO.

1°. *Les Prêtres reçoivent en même tems, (lorſqu'ils ſont ordonnés) la miſſion de leur Evêque, ou au moins ſa permiſſion.... & par là ils deviennent capables, lors qu'ils en ſont requis par les Paſteurs ordinaires des Paroiſſes, ou que quelque Penitent aura des raiſons de droit pour ſe ſoumettre à eux, d'exercer le pouvoir complet d'abſoudre & de juger, qu'ils ont reçu lorſqu'ils ont été ordonnés.*

CENSURA.

Hæc propoſitio falſa eſt, & quatenùs aſſerit præter poteſtatem in Ordinatione acceptam nihil aliud requiri in Sacerdote ad verè abſolvendum, quàm ut vocetur à Parocho, aut voluntariè ſe ſubjiciat pœnitens, eſt erronea, & viam invalidis abſolutionibus aperit.

Cæterum in præſenti negotio à *forma ſanorum verborum* tantoperè deerrat *Conſultatio* ut ipſa ſibi diſcrepare, & pugnantia loqui manifeſtè videatur. Nam poſtquam negavit per Epiſcopum conſecratorem DARI conſecrato poteſtatem ET JURISDICTIONEM EPISCOPALEM, nihilominùs ſubindè fatetur huic per illum ATTRIBUI AUTHORITATEM IN QUA SUCCEDIT APOSTOLIS. Ceu verò diſcrimen aliquod intercedat JURISDICTIONEM inter EPISCOPALEM, & *authoritatem in quâ Apoſtolis* Epiſcopi ſuccedunt! vel DANDI & ATTRI-

2 ad Timoth. 1. 13.

BUENDI, vocibus hîc adhibitis, quidpiam verè diversum possit intelligi!

Talibus verborum ambagibus odiosè deformatur Sacræ Facultatis doctrina. Non istis illa se laqueis implicat; sed quod rectè sentit, simpliciter eloquitur: *omnino à Christo esse id quod ad primariam Curatorum potestatis institutionem* attingit: *non autem quod ad illius limitationem & dispensationem ministerialem pertinet*, vel ad *eum ritum quo Curati nunc sunt in Parœcias distributi.*

Defens. decl. Cler. gallic. part. III, &c.

II°. DECLARAT Sacra Facultas infidam rursum faventemque damnatis erroribus imaginem Doctrinæ suæ exprimi in hoc *Consultationis* loco: *La Faculté de Théologie & le Clergé de France croyent encore que les Curés doivent exercer leur ministère sous l'*INSPECTION *des Evêques, Supérieurs immédiats des Curés & des peuples, qui doivent néanmoins les* DIRIGER, *conformément aux Saints Canons & aux régles certaines des Eglises Nationales où les Paroisses se trouvent situées*, &c.

Sacræ Facultati Parisiensi, ab incunabulis insita penitùs ac propè congenita est summa erga Episcoporum Ordinem observantia. Novit illa pendere Ecclesiæ salutem in eorum dignitate, totque brevì futura esse schismata, quot Sacerdotes: nisi Episcoporum exsors quædam & eminens potestas ab hominibus admittatur.

S. Hieron. dialog. contra lucifer.

Neque profectò passa est unquàm Sacra Facultas Curatorum potestatem Christo sic acceptam referri, ut eâdem vi & authoritate, ac Episcopalis potestas, ex eo fonte promanaret: ut illa obsequii necessitatem, obtentu divinæ originis, dedignaretur: ut in *solvendo* & *ligando* tanquam *æqualem* Episcopali se gereret: aut huic, in animarum regimine, *quoad externam* solùm *politiam* subesse existimaretur. Istud opinionis genus iis errorum flagitiis Facultas annumerat, quibus in solas Heterodoxorum scholas potest aditus aperiri. Inter prima

Defens. declar. Cleri. Gallic. Part. III. Lib. VIII. Cap. 14.
Conc. Constant. Tom. 12. Conc. edit. Labb. p. 270.
Conc. Trid. Sess. XIV. Can. XI.

verò, ipsa sibi semper injunxit, ut Curatos eodem divino jure subditos Episcopis disertè renuntiaret, quo docet institutos.

Ac hunc saluberrimæ doctrinæ complexum mirum est quantùm depravent, vel etiam convellant, relata *Consultationis* verba. Suis videntur esse librata ponderibus, ne plus Episcopali potestati fermè tribuant, quàm quod ad fucum faciendum opus sit. Affirmat quidem *Consultatio Curatos* & *populos* immediatè subdi Episcoporum authoritati; sed altum silet de *Jure Divino*, cui antecellentem Episcopalis potestatis prærogativam, tanquàm principio, religiosissimè Facultas adscribit. Curatos Legibus Episcoporum, inter exercendum ministerium, verba *Consultationis* obstringunt; sed eas Leges INSPECTANDI tantùm ac DIRIGENDI circumscriptione metiuntur.

Ita ne verò audere quisquam possit, ut has ad metas Episcopalia jura hærere præcipiat! ut non permittat Episcopis in ullo officii Pastoralis exercitio, non in ipsa quidem Pœnitentiæ administratione, aliter sibi Curatos obnoxios habere, quàm si solam in illos potestatem obtinerent, sivè explorandi quid agant, sivè designandi quid agere debeant.

His quàm plurimæ reclamant Sacræ Facultatis Determinationes, quæ superiorem Episcoporum potestatem, non ad hoc unum valere decernunt, ut *inspiciant* Episcopi, *dirigant*, *prohibeant*; (cujus alterius vocis extrema ferè *Consultationis* verba meminerunt) sed profitetur posse etiam Episcopos jurisdictionem Curatorum ad peculiares quosdam casus & actus invalidam reddere, ac, pro rerum adjunctis, usum illius in irritum sicut & in vetitum deducere, salvis tamen Ecclesiæ sanctionibus & regulis. Id causæ fuit cur anno 1735, propositioni sequenti censoriam notam inusserit sacra Facultas, vestigia sedulò persequens Patrum Tridentinorum, qui, non habito Curatos inter & alios Presbyteros discrimine,

generatim docuerunt, licere Episcopis, in sua cuique Diœcesi, reservare sibi casus, pro sua *in reliquos inferiores Sacerdotes* authoritate.

Conc. Trid. Sess. XIV, cap. VII & can. XI.

PROPOSITIO.

13. *L'absolution donnée dans un tel cas, (le cas de réserve) est-elle valide ? Le Concile (de Trente) n'a rien prononcé dans cette question.*

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, & hæresi à S. Synodo Tridentina damnatæ favens.

III. DECLARAT Sacra Facultas Gallicanarum libertatum notionem perversam, & à mente sua procul abhorrentem, obtrudi his *Consultationis* verbis : *Les sentimens de la Faculté de Théologie & du Clergé de France, tels que nous venons de les exposer, font partie des maximes du Royaume, & des libertés de l'Eglise Gallicane, qui consistent à n'admettre que ce qui est conforme à l'Ecriture & à la Tradition, que ce qui a été* ENSEIGNÉ & PRATIQUÉ *dans les premiers siècles de l'Eglise.*

De libertatum nostrarum natura egregius illarum vindex audiatur Bossuetius, in ipso differens opere quo earumdem firmissima fundamenta posuit.

Cum vetusta laudamus, inquit, *atque in iis arcem nostræ disciplinæ libertatisque collocamus, non propterea contendimus immutabilem esse Ecclesiæ disciplinam. Agnoscimus enim à Patribus nostris in Concilio secundo Vasensi commendatos non tantùm* ANTIQUOS, *sed* ETIAM NOVELLOS CANONES. *Hos meritò laudat Agobardus, factos videlicet pro causis necessariis, &c.*

Defens. declar. Cler. gallic. part. III, cap. 14.

Et Libri ejusdem Cap. 15, in eundem sensum eruditissimus Præsul hæc adjicit : *Summa ergo sit nostræ libertatis, sic* NOVELLA JURA PIA AUT NECESSARIA INSTITUTIONE STABI-

LITA SERVARE, ut antiquiora reſpicere, iiſque ſuſtentare labentem diſciplinam. . . . . ſtudeamus.

Quidnam vel ex induſtria, magis invitâ & adverſante *Conſultatione* poſſit enuntiari? Fingit *Conſultatio* noſtris diſſonum eſſe libertatibus quidquid prioribus Eccleſiæ ſeculis factitatum non eſt. At verò tradit diſſertiſſimè Boſſuetius interdum apud nos novella jura piâ neceſſariâve inſtitutione ſtabiliri. Utri fides ſit habenda, *Conſultationi* an Boſſuetio, quis in dubium vocaverit?

Innumera hûc adduci poſſent aliorum Eccleſiæ Gallicanæ Luminum teſtimonia. Sed in re comperta Authorum cæterorum inſtar ſit Illuſtriſſimus D. D. de Marca lib. III, de *Concordia Sacerdotii & Imperii*, Cap. 6, n. 5: *Libertatem*, inquit, *in recto antiqui & novi juris uſu conſtituimus. Neceſſariaſque noſtro ſeculo Decretalium definitiones quæ novis negotiis proſpexerunt, non abſque manifeſta ratione exiſtimamus. Non alia mens eſt aut B. Ludovici, aut Caroli VI, & totius Eccleſiæ Gallicanæ, cùm libertatem Eccleſiæ in jure Communi verſari contendunt.*

Et Gallorum quidem diſciplinam quiſquis vel leviter attigit, ad ſervandos ſanè, quantùm licet, antiquos uſus, eam ſemper intentam ſuſpexit: varios tamen quandoque mores vidit induentem: in abrogato, v. g. Pœnitentiæ publicæ ritu, in vetita Laicis communione ſub utraque ſpecie, in conſuetudine ordinandorum ſub titulo patrimonii Sacerdotum: ut etiam ex *Conſultatione*, in ſe ipſam illidente, exemplum iſtud depromatur.

Quid quòd libertates noſtras in eo quoque *Conſultatio* perperàm reponit, ut *illa tantùm admittamus, quorum data ſunt primis Eccleſiæ ſeculis documenta.* Ea quidem ſtudioſè retinemus, *quæ* primorum temporum *totiuſque mundi reverentiâ conſecrantur, quæ in regno & Eccleſia Gallicana recepta ſunt, quæ Sedis Apoſtolicæ & Eccleſiarum conſenſione firmata.* Sed

Vid. def. declar. Cleri Gall. part. III, Libr. XI, Cap. 21.

id ſibi juris Galli nunquàm aſſumpſerunt, ut ſola veteris Eccleſiæ documenta reciperent; ut illa reſpuerent quæ, proceſſu temporis, adversùs emergentes hæreſes Eccleſia definivit. Libertates Gallicanas hunc in modum explicare, quid aliud eſt, quàm eas legibus plerisque & decretis Eccleſiaſticis inimicas iniquiſſimâ criminatione effutire. Cujus rei culpa in ipſis quidem *Conſultationis* verbis reſidet: ſed abſit tamen ut hanc in Doctoris cujuſquam Catholici mentem inclinemus.

Jam verò tali Scripto, ad definitionem ipſam Libertatum noſtrarum, velut ad ſcopulum, impingenti, quid fidei reliquum eſſe debet, dum alias Doctrinæ Facultatis partes enarrat?

Quòd ſi *Consultatio* tantâ falſitate ſe implicuerit in rebus, ſi ita loqui fas eſt, domeſticis; ab ea nemo prudenter expectabit emendatiora de externis.

Ad invidiam profectò & offenſionem magnæ parti Ultramontanorum hodiernorum affingit *Consultatio* ſequentem opinionem, quæ pauciſſimorum eſt, nec præcipuæ inter illos notæ: ſcilicet *non habere Curatos niſi eam poteſtatem quam Episcopis placuerit illis impertiri.* Tametſi Theologi quibus Ultramontanis nomen eſt, unanimi ferè conſenſione doceant, ordinariam eſſe, non delegatam, Curatorum Juriſdictionem; ac propterea ipſam *non poſſe, etiam ſi ab Episcopo pendeat, ipſique ſubjaceat, ſine legitima causa, aut prorsùs auſſerri, aut adeò imminui, ut ferè inanis remaneat*, quod in primis admonet Summus Pontifex Benedictus XIV, de Synodo Diœceſana Libr. V, Cap. 4.

IV Declarat Sacra Facultas adulterinam hanc doctrinæ farraginem, permultis huc uſque nominibus à ſe reprobatam, ſtatui Preſbyterorum qui Eccleſiæ primâ

ætate extiterunt, temerè accomodari per hæc *Consultationis* verba : *Nous estimons que ce qui est porté dans la doctrine de la Faculté & de l'Eglise Gallicane sur les Curés actuels, s'entendoit, au tems de l'Eglise naissante, de tous les Prêtres en général, qui ont dans leur caractere sacerdotal le principe de la jurisdiction des 72 Disciples, La raison en est que la division des Evêchés & des Paroisses n'étoit pas encore établie, les Evêques & les Curés n'avoient pas encore de territoire circonscrit ; & quoiqu'ils eussent leur résidence ordinaire dans quelque ville, ou autre lieu quelconque, ils pouvoient & devoient aller exercer leur ministere par tout où ils étoient* APPELÉS *pour la propagation de la Foi, & les besoins spirituels des Fidèles.*

Planum est cum hodiernis Curatis illos primæ ætatis Sacerdotes hîc idcircò conferri, quòd causæ *Consultationis* valdè sit opportunum, si dicatur, Ecclesiæ nascentis temporibus, singulis Presbyteris convenisse jurisdictionem Curatorum propriam : discrepante tamen ejus exercendæ modo, ob territorii limitationem in Ecclesia nondùm usitatam. Quæ quidem in se probari digna sint, nedùm arguenda vitii, si tantùm eò referrentur ut neminem tunc fuisse dicerent initiatum Sacerdotio, qui non ad concreditam sibi à Majoribus Prælatis animarum curam simul assumeretur.

Sed rem longè diversam movet *Consultatio*, neque talia dum præmittit, intempestivæ eruditioni venditandæ duntaxat indulget : quod inivit à principio propositum premit : pergit scilicet inculcare errorem suum de ingenerata Sacerdotio vi jurisdictionis tanta, ut per se *VALIDE* obeundo Curatorum', ligandi etiam ac solvendi, ministerio, ex omni parte sufficiat. Quod si semel statuatur, jam nativa Sacerdotii jurisdictio suaptè immunis erit ab irritante quâlibet authoritate, etsi non soluta tamen à prohibente.

Ad hujus doctrinæ præſidium, prædictos Eccleſiæ naſcentis Sacerdotes in exemplum accivit *Consultatio.* Ut ipſos, vi ſolius Ordinationis, juriſdictione omninò ſufficienti præditos adſtrueret, de illorum miſſione ab Epiſcopo planè ſiluit.

Hac de cauſa ipſos exhibuit ultrò citròque commeantes, exercendi miniſterii gratiâ: ad quod officium ſatis habuit eos dicere VOCATOS; verbo ſanè inſigniter ancipiti, nec præter invitationem populorum, aliud quidquam, quod eò loci liqueat, exprimente.

Eumdem ad finem, indeterminatâ loquendi ratione affirmavit ineſſe caracteri Sacerdotali principium juriſdictionis 72 Diſcipulorum: ac poſtmodùm eam poteſtatem, quam Sacerdos miniſterio defungens exercet, nuncupavit *poteſtatem & jurisdictionem ordinis*: quin ſimul exemplo eorum è Schola Theologorum, qui collationem juriſdictionis in Ordinem refundunt, præmoneret, ipſam, donec accedat ſubditorum idonea deſignatio, completam ad ſummum cenſeri poſſe *ex parte principii*, ut aiunt; ſed nondùm completam *ex parte termini*, nec validorum actuum capacem.

Eodem conſilio ſolum adhibuit *prohibitionis* vocabulum, nequaquàm verò *vis ullius irritantis* meminit, quâ Juriſdictionis iſtius exercendæ facultas in iis Sacerdotibus impedita conciperetur, quibus animarum cura, propter invectam Parœciarum diviſionem, jam non incumbit.

Tumque convenientiſſimâ opinionibus illis locutione paulò poſt ſubjunxit, iiſdem Sacerdotibus, cùm territorialis alicujus authoritatis participes fiunt, *LIBERTATEM reddi* exercendæ Poteſtatis & Juriſdictionis ſui Ordinis. Quibus enim nihil præter LIBERTATEM tunc reddi docet *Conſultatio* hos

ſane

ſanè non ad aliorum quàm ad *liberorum actuum* ſpeciem priùs inhabiles eſſe ſignificat.

Quid plura ? Tam opportuno, atque erroribus concinente verborum genere ſeries univerſa *Conſultationis* exurgit : ut vix aptior ſermo poſſet illis ſuppetere, qui meditarentur per cuniculos veritatem adoriri, quàm nollent apertâ vi profeſſiſque odiis impugnare.

Quantùm abfuiſſet ut hâc opinionum pernicie *Conſultatio* inficeretur, ſi quid ipſa curaſſet melioris ſucci trahere ex Doctrina Sacræ Facultatis, anno 1735, conſignata Cenſuris in Propoſitiones ſequentes, à quibus non ſatis recedit prædicta *Conſultatio*.

PROPOSITIO.

5. *Tous les Prêtres donc, les Paſteurs, & ceux qui ne le ſont pas, ſont unis dans le pouvoir de lier & de délier ; & par l'inſtitution de Jéſus-Chriſt tous ont des ſujets. Ces ſujets ſont le monde Chrétien.*

CENSURA.

Hæc propoſitio, quæ aſſerit omnibus Sacerdotibus ex Inſtitutione Chriſti attributos eſſe ſubditos, in quos ligandi & ſolvendi poteſtatem in Ordinatione acceptam exerceant, independenter ab Epiſcopi Miſſione, hoſque ſubditos eſſe orbem Chriſtianum, falſa eſt, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ deſtructiva & erronea.

PROPOSITIO.

8. *Les Prêtres confeſſoient, dans les premiers ſiècles de l'Egliſe, ſans la permiſſion des Evêques & des Curés.*

9. *Onze ſiècles s'étoient écoulés depuis la naiſſance de Jéſus-Chriſt. . . . . . Dans une ſi longue ſuite de ſiècles, on n'avoit point entendu parler, ou que fort peu, qu'il fallut autre choſe*

que la qualité de Prêtre pour confesser & donner des absolutions valides & licites à des pécheurs secrets.

CENSURA.

Hæ propositiones falsæ sunt & ex ignorantia constantis Ecclesiæ praxis temerè assertæ.

V. Declarat Sacra Facultas, in cumulum quoque noxiorum *Consultationis* dictorum hoc accedere quod ad ejus calcem legitur : *Ces Prêtres, (qui ne sont attachés à aucune Paroisse particulière) sont demeurés dans la prohibition d'exercer le Saint Ministère, (excepté le cas d'une extrême nécessité) & sont restés comme des Prêtres auxiliaires & de réserve, pour être employés, lorsque les Evêques ou les Curés en titre leur rendent la liberté d'exercer le pouvoir & la jurisdiction de leur Ordre, en leur communiquant quelque portion de leur autorité territoriale.*

Iis itaque Sacerdotibus speciali Parœciæ, ut loquitur *Consultatio*, non addictis, perviam illa januam duplicem referat, ad *potestatem & jurisdictionem Ordinis sui* liberè exercendas : scilicet vel datam ab Episcopis, vel datam à Parœciarum Rectoribus, partem aliquam territorialis suæ authoritatis.

Nulla autem de re, de nullo potestatis objecto, de nulla demùm jurisdictionis specie advertit *Consultatio* summoperè interesse quid ab Episcopis, & quid à Parochis accipiatur : qualium quantarumque rerum, ab his, aut ab illis, detur copia : nulli-ne intercedant ex jure potestatis superioris obices : an solus parochorum consensus ad absolvendum in Pœnitentiæ tribunali, an ad aliud duntaxat ministerium exercendum sufficiens sit.

Isthæc omnia per nebulam videnda dimittit *Consultatio*, ipsaque, cui verba non defuerunt in juribus Sacerdotum, sive

primæ, ſive recentioris ætatis, ſuo modulo ediſſerendis: ipſa in præſenti taciturna eſt; ubi tamen graviſſimorum & optimorum verborum flumen exundare debuerat, tum, ut quæcumque poſſent Epiſcopatûs jura lædere, repellerentur: tum ut non mitteretur in diſcrimen, ex præcipiti juriſdictionis licentiùs invadendæ fiducia, validitas Abſolutionum Sacramentalium, aliorumve actorum in juriſdictionis poteſtatem innixorum, atque ipſa demùm ſalus animarum periclitaretur.

Maximam igitur, cum maximo periculo offenſionem habet ille *Conſultationis* locus, qui *utrivis*, Epiſcopo ſcilicet *vel* Curato, proprium eſſe dicit universè, ut aliquâ territorialis ſuæ authoritatis parte concesſâ *ſubſidiariis Sacerdotibus reddat libertatem exercendæ poteſtatis & jurisdictionis ſui ordinis.*

Cui propoſitioni ex ſe ipſa in ingentem reprehenſionem incurrenti, novum ſcandali & ſuſpicionis malum ex variis rerum adjunctis accreſcit. Ignorari enim non potuit, in lucem, antè aliquot annos, emerſiſſe luctuoſo exitu, opus cui titulus eſt: *Les pouvoirs légitimes du premier & du ſecond Ordre, dans l'adminiſtration des Sacremens, & le gouvernement de l'Eglise.* Multiplicis licèt erroris veneno ſuffuſum, adversùs Epiſcopale, imò Eccleſiaſticum quodvis regimen, elaboratum, magnis paſſim indiſciplinatorum hominum plauſibus exceptum fuit. Quantò autem temporibus noſtris Peſtis hujus aura propior eſt: tantò impenſiùs ab ejus afflatu *Consultatio* debuit timere ſibi, ne hauriret: aliis timere, ne propinaret. Qualem igitur opinionem ſubire meretur iſta *Consultatio* quæ de periculoſò hoc genere Sententiam prolatura, de cautione ne minimùm quidem laboravit.

Adversùs hæc omnia remedium ſuppeditant Cenſuræ ſequentes, ex earum numero decerptæ quas edidit Sacra Facultas, anno 1735, hodièque omnes renovat.

PROPOSITIO.

18. *Le sens exclusif qui donne aux Evêques le droit d'approuver à l'exclusion des Curés, paroît donc étranger au Concile (de Trente) & si étranger, à mon jugement, qu'on ne peut l'admettre, sans..... que le Concile tombe dans une contradiction constante avec lui-même.*

19. *Le Concile (de Trente) bien entendu, est plus favorable sur l'article de l'approbation aux Curés, qu'aux Evêques.*

CENSURA.

Hæ propositiones falsæ sunt, temerè assertæ, Decretum Concilii perversè interpretantur, & ejus menti manifestè repugnant.

PROPOSITIO.

20. *Le droit d'approuver les Confesseurs, n'est point dévolu aux Evêques, à l'exclusion des Curés, par aucune loi de l'Eglise.*

CENSURA.

Hæc propositio falsa est, & de juribus Episcoporum detrahit.

PROPOSITIO.

6. *La jurisdiction & l'approbation ne sont qu'accessoires, & de discipline.*

7. *Les loix de la jurisdiction & de l'approbation sont des loix de pure police.*

CENSURA.

Hæ propositiones, quatenus asserunt jurisdictionem in foro

Pœnitentiæ ad puram politiam & disciplinam pertinere, temerariæ sunt & erroneæ.

VI. Declarat Sacra Facultas, à ſe alia ſilentio præteriri, quæ in *Consultatione* non abſunt à vitio. Sed neceſſarium operæ pretium ſe facturam non eſſe judicavit, ſi poſt exciſos errorum ſtipites, amputandis etiam ſingulorum ramis immoraretur.

Utinam autem quidquid turbarum ex inducto Sacræ Facultatis falſo nomine efferbuit, hâc ſincerâ mentis ejus evulgatâ Declaratione conquieſcat.

De Scriptis verò tribus, quorum duo Sacræ Facultati, dum *Consultatio* expendebatur, oblata ſunt à D. Decano & M. Billette; tertium ab illis denuntiatum: ideſt, de duobus Memorialibus libellis qui gallicè inſcribuntur *Mémoire à consulter*, quorum unus his verbis incipit: *Des Curés de la Ville de Cahors ont envoyé, &c.* alter his verbis: *Le Sieur Joſeph Xaupi* &c.; & de folio manuſcripto cui impoſitus eſt hic titulus : *Aſſertions du Chapitre de Cahors*, quinque ſequentibus propoſitionibus comprehenso.

I.

. . . . . . « L'origine chimérique des Curés . . . . . leur » inſtitution prétendue divine. »

II.

« Les Curés, s'ils repréſentent les ſoixante-douze Diſciples, » ont reçu leur miſſion, & les pouvoirs attachés à cette » miſſion, des ſucceſſeurs des Apôtres & non de Dieu im- » médiatement. »

III.

« Attribuer aux Curés une miſſion toute divine . . . . . » C'eſt l'ouvrage d'un Ecrivain peu judicieux, entêté de ſes » idées, & trop prévenu de ſon état. »

IV.

» Les Fonctions des Curés n'ont d'autre étendue que
» celle qu'il plaît aux Evêques de leur donner, & sont né-
» cessairement circonscrites dans les bornes qu'il leur plaît
» de fixer. N'est-ce donc pas une témérité de donner pour
» une maxime nationale la divinité d'une institution, qui
» n'est qu'une simple délégation que fait l'Evêque, avec des
» réserves. »

V.

« L'Evêque étant la source de la jurisdiction, les Curés
» qui tiennent de lui leur mission & leur autorité, lui sont
» subordonnés, & n'agissent que comme ses subdélégués. C'est
» donc de l'Evêque qu'ils tiennent leur jurisdiction, & non
» pas de Dieu. Tout Evêque établi pour gouverner son
» Diocèse, a, lui seul, toute l'autorité Pastorale, sans qu'aucun
» Ecclésiastique puisse s'en approprier une partie, ni l'exercer
» sur les fidéles, sans son consentement & son approbation. »

De his tribus Scriptis sic paucis censet ac statuit Sacra Facultas.

Ex illius doctrinæ capitibus, quam variæ præsentis Declarationis partes exposuerunt, abundè notum compertumque fieri, quid vituperatione dignum, * aut culpâ liberum

* Pag. 23 primi Memorialis singulare quoddam erratum occurrit in versione Gallica juramenti à Baccalaureis & Doctoribus noviter laurea donandis præstandi, juxta statuta Sacræ Facultatis. Quòd juramentum sic latino idiomate exprimitur.

Jurabitis quòd tenebitis Articulos Facultatis Parisiensis veros, & illos nactâ occasione prædicabitis esse Fidei, & Religioni consentaneos.

Gallicè verò sic fuit redditum:

contineat ipſa doctrinæ ſubſtantia prædictis in Memorialibus Libellis exhibita.

Ad cauſæ Perſonalis ſpeciem, in iiſdem Libellis, præter verum & æquum pertrahi ſuſceptam à Sacra Facultate cognitionem de doctrina *Consultationis*. Quandoquidem hanc doctrinam, in publicum emiſſam, ex ſolo verborum tenore, & obviâ illorum ſignificatione penſitavit Sacra Facultas: nequaquàm verò ex interno ſenſu Authorum, quorum intentionem ac Perſonam de nullo prorsùs errore inſimulavit.

Demùm inter Aſſertiones quinque, quas eorum denuntiatio excerptas dicit è Vindiciis Capituli Cadurcenſis adversùs Cadurcenſes Curatos, Sacræ Facultati neque porrectis, nec aliter quàm hâc ipſâ denuntiatione notis, quatuor Aſſertiones reperiri, quæ, prout in ſe ipſis ſonant, apertè congruunt cum reprobatis jam pridem à Sacra Facultate propoſitionibus.

Similem quoque convenientiam, cum Propoſitionibus olim à Sacra Facultate damnatis ineſſe Aſſertioni inter quinque denuntiatas, ordine tertiæ: Si vocabulum *miſſionis*, quo utitur hæc aſſertio, intelligatur de *inſtitutione* Curatorum *primaria*, quæ *non ab alio quàm à Chriſto eſt*.

Defenſ. Declar. Cleri Gal. parte III, libr. VIII, cap. 14.

Nominatim verò in duabus ultimis Aſſertionibus ſupra memoratis, IV. & V, hanc ipſam renovari Doctrinam quam Anno 1482, die 5ª Februarii, & Anno 1516 die 2ª Junii, velut *Scandaloſam*, *in fide erroneam*, *hierarchici ordinis*

Vid. ſuprà, I part. hujus Declarationis.pag.6.

Qu'ils tiendront les articles de la Faculté pour vrais ; & que dans l'occaſion ils les prêcheront de foi & conformes à la Religion ;

Contra manifeſtam verborum ſignificationem, mentemque Sacræ Facultatis.

destructivam &c. Sacra Facultas proscripsit, hodieque pari denuò Censurâ judicat improbandam.

Lectum & confirmatum in Congregatione Generali, die 11ª Augusti. Ann. 1772.

De Mandato D. D. Magistrorum Sacræ Facultatis Parisiensis,

DE BAR, Scriba.

SUBSCRIPTIO AUTHORUM CONSULTATIONIS.

NOS INFRA SCRIPTI, libenti animo subscribimus præsenti Declarationi Sacræ Facultatis, atque eò libentiùs quòd in illa dicatur Sacram Facultatem *intentionem & personam Authorum Consultationis de nullo prorsùs errore insimulare.* Declaramus insuper nos nullam habere voluisse, nec habere velle Doctrinam ab ipsa Sacræ Facultatis, Almæ Matris nostræ, Doctrina alienam. Datum in ædibus Sacræ Facultatis die septimâ Augusti anno Domini 1772.

XAUPI. BILLETTE.